PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXIII - N. 2

1991

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS
Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2 DECEMBRI 1991

Semestrale Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis, Audientiae generalis occasione, die 2 octobris habita 135

Ex Allocutione Summi Pontificis ad Sodales Pontificii Consilii pro Familia, in plenario coetu coadunatos, coram admissos 136

ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium 140

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio I) . . 141

II. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio II) . 166

III. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio III) . 211

IV. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio IV) . 244

V. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio V) . 273

Nota: De itinere laboris Coetus studii « De Normis Generalibus » (Liber I CIC) . . 300

Opera a Consilii Bibliotheca recepta 302

Notitiae 304

Index Rerum Generalis 305

IV

COETUS STUDIORUM « DE NORMIS GENERALIBUS »

Series Altera

Sessio IV

(diebus 18-23 februarii 1980 habita)

Coetus specialis constitutus ad animadversiones et suggestiones ab Episcopis et Universitatibus studiorum necnon Dicasteriis Romanae Curiae propositas, quae novos canones de Normis Generalibus respiciunt, perpendendas, sessiones quarta vice habuit diebus 18-23 februarii 1980.

Partem in eo habuerunt Exc.mus D.nus Rosalius J. Castillo Lara, Commissionis Secretarius, qui praesidis munere functus est; Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, eiusdem Commissionis Secretarius Adiunctus, qui relatoris exercuit munus, et Rev.mi duo pariterque Ill.mi duo Consultores Commissionis. In coetu adlecti quoque sunt Rev.mi PP. Olis Robleda et Xaverius Ochoa necnon Ill.mus D.nus Pius Fedele, qui et ipsi in praesenti Relatione Consultores nuncupabuntur.

Quibusdam adunationibus interfuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Commissionis Praeses.

Acta redegit Rev.mus D.nus Marianus De Nicolò, Commissionis Adiutor a studiis.

Exc.mus Commissionis Secretarius, ineunte sessione, omnibus salutationes dicit et gratias ex intimo corde iam ex nunc agit de laboribus peragendis.

Labor sessionis initium sumit a recognitione can. 116 cuius textus a Rev.mo Secretario Ad. paratus est.

Can. 116 [nova redactio][1]

§ 1. Cum iure statuatur ad actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio alicuius collegii vel personarum coetus, convocari debet collegium vel coetus ad normam can. 142, atque ut actus valeat requiritur ut, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, obtineatur consensus aut exquiratur consilium partis absolute maioris eorum qui sunt praesentes.

[1] Cfr. Relationem originalem Sessionis III^{ae}, pp. 26-28; cfr. *Communicationes* 23 (1991) 235-236.

§ 2. Cum iure statuatur ad actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum, ut singularum:

1) si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris consensum earum personarum non exquirentis aut contra eorum unius votum agentis;

2) si consilium exigatur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior, licet nulla obligatione teneatur ad earundem votum, etsi concors, accedendi, tamen sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim concorde, ne discedat.

§ 3. Omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secretum sedulo servandi.

Ad § 1: Rev.mus primus Consultor petit quid eveniet si ii qui convocantur non comparent quando agitur de consilio requirendo. Rev.mus secundus Consultor tenet prae oculis habendam esse possibilitatem alicuius intercessionis (« ostruzionismo ») et distingui debere inter: a) actum collegii qua talis pro quo praesentia maioris partis membrorum requiritur uti necessaria ut actus sit collegialis; 2) et actum Superioris, qui exquirere debet consilium, pro quo non requiritur praesentia maioris partis membrorum.

Disceptatione peracta, placet textus, demptis verbis « ut, praesente quidem ... » usque in finem.

Ad § 2: Rev.mus secundus Consultor petit ut loco « uti singularum » dicatur « qui singulariter », quae expressio magis clara est etsi textum strictiorem reddit.

Exc.mus Secretarius animadvertit in singulis materiis videndos esse casus in quibus consilium requiritur. Ex parte sua Ill.mus tertius Consultor tenet non sensui locum dare si aboletur invaliditas actus pro quo necessarium consilium requisitum non fuisset. Regula generalis manere debet; in singulis materiis posset forsan restringi. Etiam Rev.mus Secretarius Ad. tenet regulam generalem servandam esse.

Exc.mus Secretarius proponit ut dicatur « actus valet sed vitiatus est et potest rescindi ad instantiam partis ». Conditio deberet poni sed potius ad actus stabilitatem quam ad eiusdem validitatem.

Rev.mus primus et Rev.mus quartus Consultores praeferunt textum prouti a Relatore propositum.

Rev.mo quinto Consultori non placet n. 1, quia ei videtur ansam praebere alicuius intercessionis (« ostruzionismo »), etsi ius velit ut actus exitus pendeat ab illo consensu (Secretarius). Idem Rev.mus Consultor petit ut

in n. 2 dicatur « si consilium exigatur ad valorem actus, invalidus ... », quia nullibi hoc dicitur. Etiam Ill.mus sextus Consultor concordat cum propositione Rev.mi quinti Consultoris. Ill.mo tertio Consultori placet textus propositus ad regulam servandam et restringatur eius tamen applicatio in singulis materiis.

Regulam, uti iacet, bonam esse tenet Rev.mus secundus Consultor; ratio enim est ut Superior in quibusdam casibus, praesertim quando iura aliorum laedi possunt, alios audiat. Deberet insuper determinari quinam uti personae singulares audiri debeant, quia formulae vagae uti « quorum interest » non obligant.

Disceptatione peracta, textus huius § placet 6 contra 2 (quintus et sextus Consultores). Textus probatur prouti est cum una emendatione: dicatur, in n. 1, « vel alicuius » loco « unius ».

Ad § 3: Rev.mo quarto Consultori haec paragraphus necessaria non videtur, etsi utilis et conveniens; nam pertinet potius ad moralem locutio « sententiam suam sincere proferendi », sed tamen contradicit Rev.mus Secretarius Ad., qui dicit necessarium esse loqui de secreto. Iuxta praeferentiam Exc.mi Secretarii cogitandum est de urgenda secreti obligatione, quae saepe saepius in rebus etiam gravissimis non servatur.

Tandem aliquando in fine disceptationis omnes concordant in sequenti textu: « Omnes... gravitas id postulet secretum sedulo servandi, quae quidem obligatio a superiore urgeri potest ».

Can. 117 (novus)

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libere posito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

Lectis animadversionibus et Coetus de Processibus voto considerato, quod nempe adiungatur in hoc canone mentio doli vel culpae, placet omnibus ut loco « libere » dicatur « dolo vel culpa ».

TITULUS VII
DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Praeprimis animadversiones generales percunctantur. Ad ea quae proposita sunt, Exc.mus Secretarius notat impossibile esse has remittere normas ad Lib. II eo vel magis quod canones de personis forsitan ad hunc

Librum remittentur. Ceterum est materia quae a Coetu de systematica videbitur. Reliquae animadversiones suo considerabuntur in loco, ubi nempe de translatione, remotione et officii privatione.

Can. 118 (CIC 145) [2]

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus a competenti auctoritate stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum.

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

Ad § 1: Postquam perplurimae consideratae sunt animadversiones, propositiones et variae suggestiones, seligitur illa a duobus Episcoporum Conferentiis proposita, quia Concilium unicum dedit conceptum officii ecclesiastici, quod omnibus officiis applicandum est.

Exc.mo Secretario praeplaceret locutio « in finem Ecclesiae » loco « in finem spiritualem » utpote expressio magis iuridica et praecisa.

Suffragationibus peractis: loco « a competenti auctoritate », dicatur « ordinatione sive divina sive ecclesiastica », ut omnia officia comprehendantur; « constitutum » loco « collatum » (omnibus placet); « in finem spiritualem » (placet 5, non placet 3: sextus et quintus Consultores, Secretarius).

Ad § 2: Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum: « Officium ecclesiasticum definitur vel constituitur lege vel consuetudine aut si casus ferat decreto auctoritatis competentis quibus obligationibus et iura eidem propria determinantur », uti habetur in propositione cuiusdam Episcoporum Conferentiae.

Exc.mo Secretario magis placet textus schematis, mutatis tantum verbis « instituitur et ordinatur » cum « constituitur ». Ratio enim est quod obligationes et iura definiuntur sive per legem sive per decretum. In locutione « ipso iure » comprehenduntur sive leges sive consuetudines.

Praevalet propositio Exc.mi Secretarii sed non illa adiungendi post « constituitur » verba « si casus ferat ».

* * *

Consideratur denique propositio alicuius Universitatis de can. 118bis, sed, disceptatione peracta, non admittitur.

[2] [In Relatione originali adest nota 1]. Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis,* n. 20.

Neque admittitur propositio novi capitis inserendi proposita a quadam Episcoporum Conferentia quia iam provisum est in canonibus de personis iuridicis et ceterum admitti nequit officium esse personam iuridicam.

Rev.mus secundus Consultor instat ut propositio admittatur, quia sibi necessaria videtur. Distinguendum enim est inter officium praesidiale et officium auxiliare et officia quae coniuncta sunt cum aliqua Populi Dei portione.

Ill.mus tertius Consultor notat officium ecclesiasticum, ratione suae constitutionis tantum, personalitate iuridica non gaudere, nisi expresse dicatur.

Ceteri Consultores (6) censent canonem superfluum esse, etsi Rev.mus secundus Consultor instet, dum Ill.mus tertius Consultor sese abstinet.

Can. 119 (CIC 14 et 15) [*re*: 1415]

§ 1. Qui officium erigit, curare debet ut praesto sint media ad eiusdem adimplementum necessaria utque prospiciatur honestae sustentationi vel retributioni eorum qui officio funguntur.

§ 2. Nisi aliud iure statuatur, Episcoporum Conferentiae regionis est normas statuere quibus praescripta § 1 ad effectum deducantur.

Perlectis animadversionibus et disceptatione de terminologia adhibenda peracta, utrum nempe seligendum esset verbum « constituere » vel « erigere », instante Exc.mo Secretario, cum canon non videatur applicandus necessarie omnibus officiis, per 7 vota favorabilia totus textus supprimitur. In Codice canon tantummodo beneficia respiciebat.

Can. 119 bis [propositio]

« Auctoritati cuius est officium instituere aut erigere, eiusdem innovatio aut suppressio quoque competit ».

Propositus textus non videtur addendus cum potius sit regula iuris (Secretarius) et omnibus placet ut cadat, excepto Rev.mo secundo Consultore.

Can. 119 ter [propositio]

Propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae non admittitur quia non videtur necessaria: spectat enim praesertim ad paroecias et ubi de parochis agitur potest considerari (quartus Consultor); vel potius ad manualia pertinet (Secretarius).

Omnes Consultores, excepto Rev.mo secundo Consultore, praeferunt ut propositio non admittatur.

Can. 119 quaeter [propositio]

Pariter ab omnibus, excepto Rev.mo secundo Consultore, non admittitur propositio cum non sit necessaria et iam contineatur in can. 118 § 2, ubi enim dicitur quod sive decreto sive lege definiuntur ea quae singuli officii sunt propria.

Caput I

De provisione officii ecclesiastici

Can. 120 (CIC 147)

Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

Omnibus perpensis, textus approbatur uti est, neque videtur opportunum definitionem praebere de officii provisione, uti in § 2 can. 147 CIC, quae est concessio officii ex parte auctoritatis ecclesiasticae, dum modi providendi dantur in can. 121.

Can. 121 (CIC 148)

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

Placet, dempto « facta » et addito « ecclesiastica » post « auctoritate ».

Can. 122

Auctoritati, cuius est officia erigere, innovare et supprimere, eorundem provisio quoque competit, nisi aliud iure statuatur.

Disputatur inter Rev.mos quartum Consultorem et Secretarium Ad. de terminologia adhibenda, cum Rev.mus Secretarius Ad. teneat, etsi in Codice verba promiscue usurpantur, ut verbum « constituere » debeat sese referre ad id quod ipsa lege fit et per eam ordinatur; dum « erigere » est quod in concreto fit per decretum.

Rev.mus quartus Consultor tenet « erigere » utique referri ad actum quo concrete aliquod creatur officium, sed necessarium esse ut explicitetur; et insuper in textu non dicitur quaenam auctoritas possit, vel cuinam pertineat officium erigere.

Exc.mus Secretarius tenet regulam generalem dari nequi et rem pendere ab eo qui potestatem legiferandi habet.

Cum multa sint officia, res resumitur ex regula generali et postea videbitur ex doctrina et praxi.

Omnibus — excepto Rev.mo quarto Consultore — placet ut textus remaneat prouti iacet.

Can. 123 (CIC 149 et 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universali vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universali vel particulari aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; secus valida est, sed invalidari potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam tribunalis administrativi.

Ad § 1: Accipitur animadversio cuiusdam S. Congregationis Curiae Romanae et ante « idoneus » adiungitur « in Ecclesiae communione, necnon ».

Ad § 2: Placet textus, mutato « invalidari » cum « rescindi ».

Adiungitur § 3, proponente Rev.mo quinto Consultore, cuiusque textus est: « Provisio officii simoniace facta ipso iure irrita est ».

Non videtur necessaria propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae adiungendi § de competentia circa iudicium idoneitatis.

Can. 124 (CIC 154)

Officium secumferens curam animarum ad quam plene adimplendam ordinis sacerdotalis exercitium requiritur, ei qui sacerdotio nondum auctus est valide conferri nequit.

Admittitur propositio duarum SS. Congregationum Curiae Romanae dicendi « plenam curam animarum ».

Can. 125 (CIC 155)

Officii provisio, nisi aliud iure statuatur, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

Exc.mus Secretarius notat regulam pro officiis cum animarum cura adnexis valere, sed applicari nequi omnibus officiis, cum hodie notio officii latissima sit. Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut adiungatur « animarum curam secumferentis ». Quapropter textus qui probatur est: « Provisio officii animarum curam secumferentis sine gravi causa ne differatur ». Tollitur etiam mentio temporis intra quod provisio facienda est, propter rationes expositas in disceptatione de can. 131.

Can. 126 (CIC 156)

Nisi adsit vera necessitas, nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

Animadversionibus consideratis, supprimuntur verba « nisi adsit vera necessitas » et « congrue ».

Can. 127 (CIC 150)

§ 1. Provisio officii de iure non vacantis ad normam can. 161, § 1, est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum

Ad § 1: Placet textus, suppressa referentia ad can. 161, quia nulla ibidem mentio fit mortis titularis, quae saepe saepius est ratio vacationis.

Ad § 2: Exc.mus Secretarius notat per se plenam officii provisionem fieri nequi sed tantum praeviam designationem, dum Rev.mi secundus Consultor et Secretarius Ad. animadvertunt quod agitur de provisione quae effectum habet a die vacationis.

Probatur textus, mutato « a sex mensibus » cum « intra sex menses » et « expleto hoc tempore » cum « a die vacationis ».

Placet § 3.

Can. 128 (CIC 151)

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Placet uti iacet.

Can. 129 (CIC 158)

Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in provisum, sed huius condicio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

Placet, mutato « in provisum » cum « in personam cui collatum est », claritatis causa.

Can. 130 (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

Placet, dempto « in actibus Curiae », quia exigi nequit ut pro omnibus officiis etiam quae concreduntur in paroeciis ut, ex. gr., officium sacristae et organistae, eorum provisio consignetur in archivo Curiae.

Art. 1 - *De libera collatione*

Can. 131 (CIC 152)

Nisi aliud explicite iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario generali et Vicario episcopali, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio.

Visis animadversionibus, Exc.mus Secretarius tenet melius esse ut textus canonis indeterminatus remaneat et nihil dicatur de officiis non dioecesanis. In textu tantum normae pro dioecesibus statuuntur.

Disceptatione peracta, remanet locutio « Ordinarii loci », sed proponentibus Exc.mo Secretario et Rev.mo secundo Consultore, loco « in proprio territorio » dicitur « in propria Ecclesia particulari ».

Rev.mus secundus Consultor quaestionem movet utrum Ordinarii loci competentia valeat etiam pro collatione necessaria, uti ex. gr. de praesentatione, et non tantum pro libera collatione.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. articulum agere tantum de libera collatione; ceterum, si formula fieret generalis ita ut Ordinarius providere possit etiam in casu quod agatur de praesentatione vel de electione, adesset contradictio cum can. 121.

Exc.mus Secretarius proponit ut propriis in locis, ubi nempe de electione et praesentatione sermo fit, hic canon remittatur. Quod placet etiam aliis.

Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem movet de casu in quo Ordinarius non curet vel negligat de alicuius officii collatione et retinet addendum esse aliquid de iure devolutivo.

Ill.mus septimus Consultor tenet vel indicandum esse quosnam ius habere providendi in casu Ordinarii negligentis, vel supprimendum esse terminum « sex mensium » in can. 125.

Auditis sententiis ceterorum Consultorum, seligitur altera propositio, supprimendi nempe terminum « sex mensium » in can. 125: 1) si non adest sanctio fere non est lex (septimus Consultor), et 2) sufficit ut Ecclesiae mens exprimatur quod officium cui adnexa sit cura animarum absque suo titulari ne remaneat (Secretarius); et, insuper, 3) ius devolutionis tunc locum habet in collatione necessaria ubi adest ius ad rem et non hic ubi tantum de libera collatione est sermo (secundus Consultor).

Can. 132 (CIC 157)

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis, nequit ab Ordinario qui renuntiationem acceptat aut decretum tulit, valide conferri suis aut resignantis consanguineis vel affinibus usque ad quartum gradum inclusive.

Omnibus inspectis rationibus sive ex consultatione, sive ex disceptatione allatis, per 5 vota contra 4 textus servatur, ratione traditionis, dempto « aut resignantis ».

Art. 2 - *De Praesentatione*

Can. 133 (novus)

§ 1. Praesentatio ad officium ecclesiasticum ab eo cui ius praesentandi competit fieri debet auctoritati cuius est ad oflicium de quo agitur institutionem conferre, et quidem, nisi aliud legitime cautum sit, intra tres menses ab habita vacationis officii notitia.

§ 2. Si ius praesentationis cuidam collegio aut coetui personarum competat, praesentandus designetur servatis canonum 141-156 praescriptis.

Placet canon, mutato tantum, in § 1, « conferre » cum « dare ».

Can. 134 (novus)

Nemo invitus praesentetur; quare qui praesentandus proponitur, de mente sua rogatus, intra octiduum utile eandem manifestet.

Placet, sed ut vitetur silentio praesentandi terminum protrahi posse et considerato quod locutio « suam mentem manifestet » nimis sit generalis, ultima pars canonis erit: « nisi intra octiduum utile recuset, praesentari potest ».

Can. 135 (novus; cfr. CIC, 1460, § 4 et 1461)

§ 1. Qui iure praesentationis gaudet, unum aut etiam plures et quidem tum una simul tum successive, praesentare potest.

§ 2. Nemo potest seipsum praesentare; potest autem collegium aut coetus personarum aliquem sui sodalem praesentare.

Can. 136 (novus; cfr. CIC, 1465, § 1 et 1468)

§ 1. Nisi aliud iure statuatur, potest qui aliquem praesentaverit non idoneum repertum, altera tantum vice, intra mensem, quendam praesentare.

§ 2. Si praesentatus ante institutionem factam renuntiaverit aut de vita decesserit, potest qui iure praesentandi pollet, intra mensem ab habita renuntiationis aut mortis notitia, ius suum rursus exercere.

Placent canones.

Can. 137 (novus; cfr. CIC 1465)

Qui intra tempus utile, ad normam can. 133, § 1 et can. 136 praesentationem non fecerit, itemque qui bis praesentaverit non idoneum repertum, pro eo casu ius praesentationis amittit, atque auctoritati cuius est institutionem conferre competit officio vacanti libere providere, assentiente tamen provisi proprio Ordinario.

Placet, mutato « conferre » cum « dare » et anteposito « proprio » ad « provisi ».

Can. 138 (novus; cfr. CIC 1466)

§ 1. Auctoritas cui ad normam iuris competit praesentatum instituere obligatione tenetur instituendi legitime praesentatum qui idoneus repertus sit et acceptaverit; quod si plures legitime praesentati fuerint qui idonei reperti sint, eorundem unum instituere debet.

§ 2. Auctoritas ad institutionem conferendam competens, si institutionem deneget legitime praesentato qui idoneus repertus sit, pro eo casu

amittit ius instituendi, quod quidem devolvitur ad auctoritatem immediate superiorem.

Placet § 1, hac mutatione inducta: « instituere, instituat legitime praesentatum quem idoneum repererit et qui acceptaverit; quod si ... ».

Supprimitur § 2.

Art. 3 - *De electione*

Can. 139 (CIC 160)

Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pauli VI *Romano Pontifici eligendo*, 1 octobris 1975.

Utamur eadem formula quae adhibetur in LEF, quapropter textus erit: « ... electio iure peculiari regitur »; nam, in novo Codice hae normae sunt subsidiariae, quae aberant in CIC (secundus Consultor).

Can. 140 (CIC 160)

Nisi aliter aliud lege expresse provisum fuerit, in ceteris electionibus canonicis serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Placet, sed dicatur « Nisi aliud iure provisum ... ».

Can. 141 (CIC 161)

Salvis legitimis collegii aut coetus statutis, si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

Placet.

Can. 142 (CIC 162)

§ 1. Collegii aut coetus praeses modo statutis determinato, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes ad collegium aut coetum pertinentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat aut in loco domicilii aut quasi-domicilii aut in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate irritari debet,

dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

Ad § 1: Placet, deletis verbis « modo ... convenienti ».

Ad § 2: Placet, mutato « irritari » cum « rescindi ».

Ad § 3: Placet uti est, etsi norma iudicatur rigorosa (Secretarius) et Ill.mus septimus Consultor petiit ut deleatur; tamen, cum sanctio poenalis datur pro defectu convocationis, ideo melius est ut norma remaneat. In hac § agitur enim de convocationis et praesentiae defectu.

Can. 143 (CIC 163)

§ 1. Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 142, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione determinatis, exclusa, nisi aliud statutis legitime provideatur, facultate ferendi suffragia sive per epistolam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

Ad § 1: Placet, demptis verbis « firmo quidem can. 142 » et mutato « provideatur » cum « caveatur ». Rev.mus secundus Consultor petit ut tollantur verba « nisi aliud statutis... » cum iam dicatur in can. 140, sed resistit Rev.mus Secretarius Ad. ratione quod statuta, ex. gr. consociationis, non veniunt nomine iuris et ideo textus remanere debet prouti sonat.

Non accipitur propositio aliquorum inserendi possibilitatem suffragium ferendi per procuratorem et textus probatur uti est.

[Placet uti est § 2].

Can. 144 (CIC 164)

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

[Placet uti est].

Can. 145 (CIC 165)

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet.

Placet.

Can. 146 (CIC 166)

Electio, cuius canonica libertas quoquo modo reapse impedita fuerit, ipso iure invalida est.

Placet, suppresso verbo « canonica ».

Can. 147 (CIC 167)

§ 1. Inhabiles sunt suffragium ferendi:

1) incapaces actus humani;

2) minores duodeviginti annorum;

3) qui communitati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in can. (*De populo Dei*, can. 46, § 3);

4) carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis sive vi legitimae sententiae iudicialis.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam condemnatoriam aut habita sententia declaratoria.

Ad § 1: [Aliqua numerorum peragitur immutatio novusque adiungitur numerus]:

n. 1: placet, tamen forma singulari redigatur.

n. 2: uti in « de Populo Dei » dicatur « aetate minor ».

n. 3: dicatur tantum « carens voce activa » quia modi ibi descripti non sunt completi.

n. 4: textus est « poena excommunicationis innodatus sive per sententiam iudicialem, sive per decretum quo poena irrogatur vel declaratur ».

n. 5: post longam disceptationem, suffragatione peracta, textus qui seligitur est: « qui Ecclesiae aut communitati ecclesiali ab Ecclesia catholica seiunctae adscriptus est, aut ab eiusdem communione formaliter defecit ».

Ad § 2: Placet textus, demptis verbis « aut nisi ... declaratoria », secus prima pars canonis non bene congrueret cum altera; nam textus esset incompletus, quia: a) excommunicatio plerumque fit per decretum, quod heic non est dictum; b) nullibi dicitur excommunicatum privari voce activa et passiva (Secretarius).

Can. 148 (CIC 169)

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1) liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut diversas personas disiunctive;

2) secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae censentur.

Placet, mutato, in § 2, « censentur », cum « habentur ».

Canon 149 (CIC 171)

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus statutisve aut legitimis consuetudinibus determinatam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo qui actuarii munere fungitur accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

Exc.mus Secretarius proponit ut canon simplificetur eo vel magis quod in Statutis iam provisum est (septimus Consultor) et hic sufficit lineam generalem statuere. Ergo textus erit:

§ 1: « Antequam incipiat electio deputentur e gremio ... ».

§ 2: « Scrutatores suffragia colligant et coram praeside electionis inspiciant ... ».

§ 3: Placet uti est.

§ 4: Placet omnibus — exceptis Rev.mis quinto et primo Consultoribus — ut supprimatur cum res nimis particularis sit et relinquitur ad Statuta particularia.

§ 5: Placet uti est.

Canon 150 (CIC 172)

§ 1. Electio, nisi aliud iure aut statutis caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, scilicet ex solis clericis constante, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositas, iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositis habeantur.

Ad § 1: Placet, transpositis verbis « unum vel plures » post « idoneos ».

Ad § 2: Placet, demptis verbis « clericali » et « scilicet », quia « collegium clericale » est locutio non clara.

Ad § 3: Placet uti est.

Canon 151 (CIC 173)

Cessat compromissum et ius suffragium ferendi redit ad compromittentes:

1) revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
2) non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
3) electione absoluta, si fuerit nulla.

Canon 152 (CIC 174)

Nisi aliud iure aut statutis caveatur, is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can (*De Populo Dei*, can. 76, n. 1°).

Placent canones.

Canon 153 (CIC 175)

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

Placet, addito « autem », in § 2, post « rursus ».

Canon 154 (CIC 176)

§ 1. Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, officium pleno iure statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere in administratione officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Placet § 1.

Placet textus § 2, sed transfertur uti § 4 c. 155.

Canon 155 (CIC 177)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum utile a die intimatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens auctoritas, si electum repererit idoneum ad normam can. 123, § 1, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Facta confirmatione, electus pleno iure officium obtinet, nisi aliud iure caveatur.

Ad § 1: placet, mutato « intimatae » cum « acceptatae ».

§§ 2 et 3 placent.

Uti § 4 inseratur § 2 canonis praecedentis.

§ 5 (qui erat 4) placet, mutato « facta » cum « intimata ».

Canon 156 (CIC 178)

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam aucto-

ritatem devolvitur, a qua confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Supprimitur, quia iam provisum in can. 141.

Art. 4 - *De postulatione*

Ad totum negotium de postulatione quod attinet, Exc.mus Secretarius animadvertit fere omnes normas obsoletas esse quia facultas dispensandi latissima accipitur; Ordinarius facultatem dispensandi habet, et impedimenta, saltem iuris universalis, ad minimum reducuntur. Ideoque sufficeret, cum de confirmatione agatur, ut aliqua tantum dicantur de postulatione et dispensatione, ex. gr.: « confirmandus si indiget aliqua dispensatione, ab auctoritate competenti petatur ».

Ill.mus tertius Consultor tamen animadvertit dari etiam casum electionis quae confirmatione non indigeat et tamen postulari possit.

Disceptatione peracta, convenitur ut textus art. 4 integer servetur.

Canon 157 (CIC 179)

§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferant, impedimentum canonicum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

Placet.

Canon 158 (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo* vel *postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non exsistat, secus pro postulatione.

Placet, etsi, praesertim § 2, indulget aliquo formalismo, sed eius formulatio est traditionalis.

Canon 159 (CIC 181)

§ 1. Postulatio a praeside intra octiduum utile mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat,

eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et collegium vel coetus pro ea vice privatur iure eligendi aut postulandi, nisi probetur praesidem a mittenda postulatione iusto fuisse detentum impedimento aut dolo vel negligentia ab eadem tempore opportuno mittenda abstinuisse.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam admittendi auctoritas competens obligatione non tenetur.

§ 4. Factam auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi auctoritate consentiente.

Canon 160 (CIC 182 et 175)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum redit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 154 § 1.

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, pleno iure statim officium obtinet.

Placent canones.

Caput II

De amissione officii ecclesiastici

Consideratis animadversionibus generalibus in consultatione prolatis, ad singulorum canonum examen gressus fit.

Canon 161 (CIC 183) et [*161 bis*]

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletione aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure auctoritatis a qua fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit.

Exc.mus Secretarius animadvertit: 1) cessatio ab officio non venit expletione aetatis sed per auctoritatis actum; 2) quaestio de « emeritatu » est delicata quia institutum omnino novum introducitur in iure generali quod non valet pro omnibus. Emeritatus quodammodo intrat in renuntiatione. Ex. gr., stricte in Universitatibus applicatur, minus stricte in Sacra Romana Rota. Denique emeritus est quodammodo titulus honorificus qui non obtinetur ipso iure sed ex auctoritatis concessione. Convenit cum animadversionibus prolatis ab Exc.mo D.no Ill.mus septimus Consultor, qui tenet sermonem instituendum esse de aetate, sed non de emeritatu, qui post ab officio cessationem intervenit. Aetas suum habet momentum relate ad officium et sufficit ut mentio de illa habeatur uti principium quod variis modis applicatur, ideoque melius est ut in renuntiatione sermo de aetate instituatur.

Conveniunt reliqui Consultores (tertius, sextus, quintus et quartus).

In fine disceptationis, proponentibus Rev.mo secundo Consultore et Exc.mo Secretario, can. 161 bis introducitur, cuius textus est: « ei qui ob impletam aetatem aut renuntiationem acceptatam officium amittit, titulus emeriti conferri potest ». Placet omnibus.

Ad canonis 161 textum quod attinet:

§ 1: placet, sed loco « qua quis ... emeritus », dicatur: « iure definitae ».

§§ 2-3: placent.

[1. *De emeritatu*]

Canon 162 (novus)

Qui expleverit aetatem, qua adepta ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

(Qui erit 161 ter): Ponendus est uti canon generalis huius capitis II de amissione officii ecclesiastici, quia art. de emeritatu, uti supra explicatum est, cadit.

Textus erit sequens: « Lapsu temporis definiti vel adimpleta aetate amissio officii effectum habet tantum a momento quo a competenti auctoritate scripto intimetur », ita ut quis in officii exercitio pergit usquedum cessatio ei ab auctoritate intimetur.

[1. (2) *De renuntiatione*]

Canon 163 (CIC 184)

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare.

Canon 164 (CIC 185)

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo vel errore substantiali aut simoniace facta, ipso iure irrita est.

Placent canones.

Canon 165 (CIC 186-187-189-191)

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, ei auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, nisi intra tres menses acceptetur, omni vi caret; quae acceptatione non indiget effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

§ 1 placet, additis verbis « et quidem sive scripto sive oretenus coram duobus testibus » et dempta particula « ei ».

§§ 2-4 placent, addito in § 3 « renuntianti » post « intimatione ».

2. (3) *De translatione*

Canon 166 (CIC 193)

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit quaelibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

Placet § 1.

Ad § 2: Exc.mus Secretarius animadvertit impossibile esse easdem causas requiri ac pro officii amissione, praecise quia translatio non est amotio, pro qua causae gravissimae requiruntur, dum in textu eaedem causae et modus procedendi stabiliuntur. Si canon remanet, vel referentia ponatur ad canones de parochis, vel dicatur « proportionata causa », ut

aliqua de modo procedendi stabiliantur, quia translatio poenalis debet fieri modo in iure poenali determinato.

Rev.mus secundus Consultor tenet textum uti iacet fundamentum habere quia agitur de coactiva translatione qua fit amotio ab illo officio determinato et postea provisio alius officii: quod valet pro omnibus officiis.

Rev.mus quartus Consultor notat translationem fieri ad bonum vel Ecclesiae utilitatem et si fit invito gravis requiritur causa et servandus est modus in iure poenali praescriptus.

Exc.mus Secretarius instat quia in amotione causae sunt fere semper ex parte titularis, dum in translatione e contra possunt esse ex parte boni publici.

Ill.mo tertio Consultori placet ut dicatur « proportionata causa » loco « gravis » et procedura innuatur generaliori modo, uti est latissimus ambitus officii ecclesiastici. Cui assentit etiam Ill.mus sextus Consultor.

Rev.mo quinto Consultori clara non videtur necessitas causam exprimendi pro translatione voluntaria; dum pro translatione coactiva sufficit causa proportionata, salvo semper iure exponendi rationes contrarias et servato modo iure statuto.

Rev.mus primus Consultor notat translationem non semper fieri pro Ecclesiae utilitate sed etiam personae; ideoque quaerit utrum multi sint qui distinctionem faciunt inter proportionatam et gravem causam.

Exc.mus Secretarius tenet necessarium non esse mentionem facere de Ecclesiae utilitate, dum e contra modus procedendi servandus est si praescriptus servetur; in tuto semper posito iure illius qui officium detinet rationes exponendi contrarias.

Rev.mus quintus Consultor petit ut prima pars canonis supprimatur, quod ab aliis acceptatur. Itaque textus qui probatur est:

« Si translatio fiat invito officii titulari, gravis requiritur causa et, firmo semper iure rationes contrarias exponendi, servetur modus procedendi iure praescriptus ».

Placet § 3.

Canon 167 (CIC 194)

§ 1. Translationis ratione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habitam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Remunerationem cum priore officio conexam translatus percipit, donec alterius possessionem canonice obtinuerit.

Placet.

3. (4) *De amotione*

Canon 168 (novus)

§ 1. Ab officio quis amovetur sive decreto ab auctoritate competenti legitime edito, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quaesitis, sive ipso iure ad normam can. 170.

Placet, dempto « hoc casu » et addito « forte » post « iuribus ».

Canon 169 (novus)

§ 1. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 2. Eadem norma § 1 valet ut ab officio quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis ante hoc tempus elapsum amoveri possit.

§ 3. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad prudentem discretionem auctoritatis competentis, potest quis iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

Ad § 1: Hodie tantum officium Romani Pontificis de se est ad vitam ideoque Exc.mus Secretarius proponit ut locutio modificetur cum « ad tempus indefinitum ». Post « ob » adiungitur « graves » et supprimitur « iure determinatas » et « eodem ».

Ill.mus tertius Consultor notat relinquendam esse tutelam processualem formalem, sed, cum impossibile sit omnes enumerare causas, dari non posse « garanzie » substantiales legales.

Placet § 2, posito « Idem » loco « eadem norma § 1 ».

Ad § 3: Exc.mus Secretarius et Rev.mus primus Consultor mallent ut post « confertur » diceretur « ad nutum seu ad prudentem », sed omnes alii Consultores sunt contrarii, quia adiectio necessaria non videtur.

Placet § 4.

Canon 170 (novus)

§ 1. Ipso iure a quolibet officio ecclesiastico amovetur:

1) qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2) qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3) qui professionem religiosam emiserit, nisi de consensu auctoritatis competentis atque Moderatoris religiosi, officium retinere possit;

4) qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competenti statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

5) qui officium publice deseruerit;

6) qui obligationem residentiae, qua tenetur, violaverit et receptae auctoritatis competentis monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum ab auctoritate praefinitum tempus, non paruerit aut eidem non responderit.

§ 2. Ipso iure ab officio clericali amovetur:

1) qui statum clericalem amiserit;

2) qui militiae saeculari nomen sponte dederit, contra can. (*De Populo Dei*, can. 149 § 1).

§ 3. Amotio de qua in §§ 1 et 2 urgeri tantum valet si de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

Consideratis etiam animadversionibus in consultatione prolatis, Exc.mus Secretarius contra totum canonem graves manifestat difficultates. Canon enim respicit id quod in Codice erat tacita renuntiatio et valde dubitat de eius necessitate, quia: in n. 1 pro certitudine iuris necessarium est decretum Superioris; n. 2 non bene intelligitur; n. 3 respicit tantummodo officium quod quis ante officii professionem detinebat et materia haec regulatur iure religiosorum neque valet pro Institutorum Saecularium sodalibus; et non esset amotio, sed tacita renuntiatio; n. 4 est nimis rigorosus: valebat, enim, pro beneficiis; n. 5 non sufficit, quia investigatio requiritur et declaratio superioris, qui decretum ferre potest; n. 6 obligatio residentiae in materia poenali videnda est pro qua adest canon generalis.

Idem Exc.mus Vir tres casus proponit servandos in hoc canone: 1) qui statum clericalem amiserit; 2) qui a fide catholica aut ab Ecclesiae communione publice defecerit; 3) clericus qui matrimonium etiam civile tantum attentaverit. Insuper servandus est § 3, dicendo: « Amotio, de qua in § 1, nn. 2 et 3, urgeri tantum ... ». Supprimitur § 2, quia contenta iam in § 1 (6 vota contra 3).

Disceptatione peracta, Consultores in propositione ab Exc.mo Secretario proposita conveniunt. Hoc modo declaratio auctoritatis competentis factum respicit et non amotionem quae ipso iure habetur. Et declaratio scripta auctoritatis semper est necessaria ad certitudinem iuris habendam.

Ceterum, animadvertit Rev.mus Secretarius Ad., non possumus modo exhaustivo hanc definire materiam, sed aliquod praebere criterium ut auctoritas agere possit. Numeris suppressis iam provisum est in iure poenali et causae generales possunt esse indignitatis vel ineptitudinis.

Canon 171 (novus)

Si quis, non quidem ipso iure, sed per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas obligatione tenetur curandi ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

Attenta observatione quod stricta obligatio providendi subsistentiae admitti tantum debet pro iis qui ab officio clericali amoventur — soli enim clerici oneri sunt Ecclesiae; pro laicis, enim, non potest stricta imponi obligatio —, in textu dicatur: « Si quis ... auctoritas curet ut ipsius ... ».

4. (5) *De privatione*

Canon 172 (novus)

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

Placet.

TITULUS VIII

DE PRAESCRIPTIONE

Canon 173 (CIC 1508)

Praescriptionem, tanquam iuris subiectivi acquirendi vel amittendi necnon ab obligationibus sese liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia recipit, salvis exceptionibus quae in canonibus huius Codicis statuuntur.

Canon 174 (CIC 1512)

Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio, sed toto decursu temporis ad praescriptionem requisiti.

Canon 175 (CIC 1509)

Praescriptioni obnoxia non sunt:

1) iura et obligationes quae sunt legis divinae naturalis aut positivae;

2) iura quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;

3) iura et obligationes quae spiritualem christifidelium vitam directe respiciunt;

4) fines certi et indubii circumscriptionum ecclesiasticarum;

5) stipes et onera Missarum;

6) provisio officii ecclesiastici quod ad norman iuris exercitium ordinis sacri requirit;

7) ius visitationis et obligatio obedientiae, ita ut christifideles a nulla auctoritate ecclesiastica visitari possint et nulli auctoritati iam subsint.

Placent canones.

TITULUS IX
DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Animadversio cuiusdam S. Congregationis Curiae Romanae ut hic Titulus ponatur uti Tit. VIII, scilicet antequam tradantur normae de praescriptione, quia praescriptio requirit decursum temporis, non accipitur, instante Rev.mo secundo Consultore, qui tenet Titulum de praescriptione multum faciendum esse.

Canon 176 (CIC 31)

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Placet.

Canon 177 (CIC 35)

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patiatur interruptionem.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut persequenti competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat.

Placet, sed dicatur « patitur » in § 1, loco « patiatur ».

Canon 178 (CIC 32)

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

Placet. Non admittitur propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae de supputatione horae (can. 33 CIC) utpote non necessaria.

Canon 179 (CIC 34)

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

Placet.

TITULUS X

DE PRAECEDENTIA

Plures factae sunt petitiones ut Titulus ex integro supprimatur. Octo Consultoribus placeret ut a Codice hic Titulus expungeretur et remitteretur ad aliquam instructionem.

Rev.mus primus Consultor tenet in Codice Tit. servari debere ad ordinem habendum controversiis.

Exc.mus Secretarius proponit ut, si Titulus manet, inserantur canones respectivi ubi de obligationibus et iuribus clericorum vel ubi de personis.

Ill.mus septimus Consultor notat textum ita generalem esse ideoque fere nihil regulare. Et Rev.mus Secretarius Ad. petit utrum extendi debeat etiam ad religiosas foemini sexus, quia non videtur norma restringenda esset solis clericis.

Canon 180

Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu iuridicas, serventur normae quae sequuntur, salvis normis specialibus quae suis locis traduntur:

1) qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio;

2) cui est auctoritas in personas sive physicas sive iuridicas, eidem ius est praecedentiae supra illas;

3) inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem: qui ad gradum potiorem pertinent, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus; inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiorem ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi; si denique ad eundem gradum pertineant eundemque ordinem habeant, praecedit qui prius est promotus ad gradum; si eodem tempore promoti sint, senior ordinatione; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate;

4) in praecedentia diversitas ritus non attenditur;

5) inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est; inter sodales vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinetur ex propriis legitimis constitutionibus; secus ex legitima consuetudine; qua deficiente, ex praescripto iuris communis;

6) loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum; et omnes de praecedentia controversias, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque;

7) circa personas quae ad Domum pontificalem pertinent, praecedentia moderanda est secundum regulas et traditiones eiusdem pontificiae Domus.

Placet, sequentibus inductis emendationibus:

a) supprimantur verba « quae suis in locis traduntur »;

b) n. 1) erit n. 4);

c) n. 2) erit n. 1);

d) n. 3) erit n. 2) et eius textus est: « inter diversos clericos quorum nullus habeat in alios auctoritatem ... »;

e) n. 4) erit n. 3);

f) in n. 5), loco « morales » dicatur « iuridicas » et « statutis » loco « constitutionibus ».

Reliqui numeri placent prouti iacent.

* * *

Aliquae quaestiones, praeterquam de systematica, in proxima videntur Sessione, quae nempe erunt: de silentio publicae administrationis, de regula loquendi quoad Episcopum dioecesanum et Ordinarium loci.

* * *

Et finis hoc modo imponitur labori huius Sessionis, precibus de more fusis et gratiis quam plurimis dictis omnibus ex parte Exc.mi Secretarii.

Romae, die 23 februarii 1980.

M. De Nicolò
Adiutor a studiis

N.B. Canones approbatos in fine Relationis Sessionis V^{ae} invenies.